

Q. D. B. V.
Ad Orationes

119

ENCOMIOASTICO-EV- CHARISTICAS,

Qvibus

Patronis, Mæcenatibus ac Evergetis, pro benefi-
centia in publicam Scholæ nostræ Crucianæ Bi-
bliothecam munifice collata
decentes persolvent gratias,

cum primis autem

*Viri quondam Summè Reverendi Magni-
ficiqve*

DOMINI D. CHRISTO- PHORISCHRA- DERI,

IN SACRO CONSISTORIO SENATORIS
& SUPERINTENDENTIS CELEBER-
RIMI,
SANCTISSIMIS CINERI-
BUS

Hac & aliis plurimis causis
bene precabuntur

Adolescentes aliquot pii, modesti, industrii;
Craftina Deo volente luce, finitis sacris pomeridianis
habendas

*Reipublicæ nostræ Literariæ Proceres benignos,
reliquosqve Civos humanissimos submisisse officioseq;*

inviat
JONAS GELENIUS, Scholæ Cruc. Rect.

DRESDÆ, Stanno RIEDELIANO.





E Bibliotheca Alexandrina, splendidissimo illo regalis magnificentiæ opere, multi multa; sed nondum ita ad liquidum subductis rationibus, ut nihil superfit amplius, in quo fertam contentionis reciprocare non inveniatur curiosa eruditorum, nostræ præsertim ætatis, natio.

Quis enim bonarum literarum tam rudis atque tiro, quis ita hospes atque peregrinus in historiarum monumentis est, cui cum Ptolomæus Philadelphus subit in memoriam, ejus animo etiam non statim obversetur regium illud sapientiæ domicilium & toto terrarum orbe decantatissimum Musarum sacrarium? Bibliotheca, inquam, jam laudata, in qua ille conquivenda, ornanda, & ad stuporem usque exaggeranda, omnem curam industriamque suam locavit, & cui non vim tantum auri ingenitem, sed potissimum etiam vitæ suæ partem impendit, sequere inde immortalem futurum, non vano augurio sibi pollicitus est. (a) Et tamen inventi sunt præsertim hoc superiori que seculo viri eruditissimi, qui hanc illi palmam in manibus infringere, speratumque immortalitatis fructum, Ptolomæum Patrem in partem gloriæ hujus bene magnam vocando, intervertere conati sunt. Enimvero ita eos ratiocinari videas: (b) Philadelphi nostri Pater quamvis strenuus bello Dux, & promptissimus bellator, pacis tamen, quam militiæ artibus major, in tantumque bonis imbutus literis, ut præter epistolarum volumen, quod à Dionysiodoro editum refert Lucianus, (c) ipse historiam condiderit Alexandri M. cujus meminit Plinius (d) & Plutarchus, (e) ex qua deinde Arrianus *Ἀνδραον* suam contexuit, sicut ipse, per quem profecerit, ingenuè fatetur. (f) Tantum igitur, tamque insigniter eruditum Principem quis non existimet instructam habuisse bibliothecam, præsertim cum vetustissimus Ægyptiorum Rex Osymanduas bibliothecam sacram, invidendo *ἰαλειῶν τῆς ἑυχῆς* elogio insignitam habuerit, docente id nos Diodoro Siculo, quæ postea cum multis aliis, ipsoque Ægypti Regno in manus potestatemque ejus venerit. Sed bene habet o Rex seculorum pene omnium, avi saltem prisce, vel hoc nomine, laudatissime. Vivit vivetque aeterna nominis Tui gloria, quamque Tibi promisisti immortalitatem, eam ad nos productam excipient consequentes anni, & ad finem usque hujus universi propagabunt. Quid enim, quam firma hæc colligendi ratio? Fuit Ptolomæus Soter Princeps doctrinæ laude non unus è multis, & non penitenda librorum abundavit copia; fuit antiquitus bibliotheca Osymanduae Regis, quæ cum aliis for-

sitan

(a) Vid. Athenæum lib. XII. Sed conf. Ruperti Observ. in Besoldi Synop. min. p. 217. (b) Vid. Hunsfredum Hody, Dissertat. contra Aristæam, c. 9. p. 154. (c) *Ἰαλειῶν τῆς ἑυχῆς* p. 272. (d) *Histor. Natur.* (e) *Vita Alexandri M.* (f) in *Præfat.*

fitan in manus pervenit Ptolomæi Soteris: Igitur Philadelphus
 filius non fuerit auctor tam ingentis, tot feculis, tot scriptis ac ser-
 monibus celebratæ bibliothecæ Alexandrinæ? Quis enim, ama-
 bo, scriptor est paulò vetustior, (nam horum testimoniis nitinos
 oportere, nec vanis duci conjecturis,) qui vastissimi hujus corpo-
 ris partem aliquam notabilem, bibliothecam Ofymanduzæ aut La-
 gi Patris faciat, & non in solidum hoc quidquid est laudis Phila-
 delpho nostro transcribat? Fuerint sane aut Ofymanduzæ, (de
 quo tamen est quod dubites, cum nemo ignoret, quantum & in
 bibliothecas possit avi longinqua vetustas,) aut etiam Ptolomæi
 primi divitiæ Palladiæ tenuè quoddam vestigium, aut, si plura lar-
 giri velis, fundamentum aliquod, ad tanti certe operis fastigium
 aut nullum, aut perexiguum tantum attulisse momentum, quilibet
 æquus rerum æstimator haud ex vano arbitrari nos, facile, ni-
 si fallimur, largietur. Sed longe gravior, & quæ ad verborum us-
 que procesit contumeliam, super primo sapius jam laudatæ bi-
 bliothecæ hujus Bibliothecario exarsit controversia. Unus enim
 hætenus ferme omnium scriptorum sensus, una vox atque mens
 fuerat, primam pretiosissimi hujus cimelii curam demandatam
 fuisse tot veterum monumentis celebrato illi Demetrio Phalereo:
 hunc etenim exulem atque extorrem ab solo patrio non tan-
 tum summa Philadelphi gratia floruisse, sed & primum illius biblio-
 thecæ fuisse præfectum, quin imò prima illius jecisse fundamenta.
 Ita certe docuere nos Philo, Josephus, Justinus Martyr, Clemens
 Alexandrinus, aliique, & ex iis recentiores *τοιοῦτοί τε ἄνευ ἀντιφθόου,*
 quorum nomina cum nemo ignoret, hic coacervare putidum
 fuerit. Verum enim vero primo omnium, quantum quidem le-
 gere memini, longe aliud visum fuit ingenii acutissimi, narisque sa-
 gacissimæ critico Justo Josepho Scaligero, qui sententiam hanc
 palam *νοθεύει* postulare & in absurdis habere cepit, in divino illo
 & æternum victuro opere, notis ad Chronicon Eusebii, dum ex
 Laërtio Hermippum non proletarium, sed bonæ notæ auctorem
 adducit, Demetrium hunc Phalereum statim post supremam Pto-
 lomæi Soteris fata à successore filio relegatum, in custodia diem
 obiisse supremum, diserte affirmantem. Si itaq; tam dirum tamq;
 crudelem in se expertus est Ptolomæum Demetrius, quæ Biblio-
 thecarius illius esse potuit? Sed juvat ipsa Diogenis Laërtii adduce-
 re verba, ita autem ille ex versione Latina: (g) *Hermippus tradit,*
illum post Cassandri mortem Antigonum metuentem ad Ptolomæ-
um Soterem venisse, apud quem satis diu cum fuisset, præter cæ-
tera ei consilium dedisse, ut regnum Eurydices filius relinqueret.
Quod cum ei non persuasisset, sed contra is diadema Berenices
filio

(2

(E) In vita Demetrii Phalerei.

filio obtulisset. hunc ipsum post ejus mortem Demetrium in ditione sua custodiri jussisse, donec de illo aliquid statueretur. Hoc in loco demissius agebat, ac forte dormiens aspidis morsu, manum appetentis, vita privatus est sepultusque in Busiridis prefectura. Atque hic est ille aries, quo tot magnorum virorum assensu celebratam sententiam subratum ivit illustri Scaliger. Acriter hic insurgit Viro nobile par Jesuitarum, Serarius nimirum & Gretserus; quorum ille argumentum hoc non tantum levem ratiunculam vocat, sed etiam hæc addit: *Ab omni abhorret ratione, ut auctor unus, isq. gentilis & vix notus, tot ac tantis veteribus & notis Christianis ac Judæis anteponatur:* (h) hic autem postquam longum eorum texuisset catalogum, qui communi adstipulantur opinioni, subjicit tandem: *His tamen universis postponitur à Novatore (Scaligero) unus, isque ignotus, & Ethnicus, & rerum Judaicarum ignarus Hermippus. Quæ mente? nisi novandi ac contradicendi libidine? Quis non magis credat vel uni Aristeæ, qui interfuit, quam huic tenebrioso Hermippo.* (i) Verum non Jesuitæ tantum dicam hæc in parte scribere Scaligero, sed ejus etiam fidei assectæ, viri ob ingentia in Rempublicam literariam merita clarissimi Jacobus Usserius, Brianus Waltonus, Janus Gerhardus Vosius, ejusque nobilissimum germen Isaacus, qui omnes suis quibusdam ducti rationibus, Josepho, Patribusque relictis, in castra Scaligeri ut transirent, in animum suum inducere non poterant. Longum esset, neque harum pagellarum angustia permittunt, omnia rationum adducere momenta, quibus illi aut Scaligeri Hermippum frangere, aut sententiam suam statuminare laborant. Neque tamen cum celeberrimo quodam viro exclamaverim: *Quid ad hæc dicendum? Solvendus ne nodus est, an secandus? Solvi posse arbitror.* Quod si enim, ut adversæ sententiæ propugnatores fatentur, unius Aristeæ testimonio, tanquam fundamento, tota hæc substructionis moles nititur: Aristeam autem impostorem fuisse Judæum, qui his neniis suis febriculosus Josephum primo, & ab illo venerandam cæteroquin Patrum coronam in fraudem (quod viri arate nostra eruditissimi non persvadent tantum, sed penè cogunt credere,) sublestitissime induxit, subrato, inquam, hoc fundamento, & opinio hæc ex facili subversa corruet. Usserii, Waltoni, Vosiorum rationibus abunde satisfacit biga virorum doctissima Humfredus Hody, in celebri Oxoniensi Professor quondam Græcæ lingvæ Regius, (k) & qui nuper in fata sua concessit Antonius Van Dale, Medicus Harlemensis, scriptis in lucem editis non incelebris. (l) Litem hanc alia excipiat liticula, ad nu-

(h) *Proleg. Bibl. c. 17. q. 5.* (i) *Defensione Bellarmini l. 2. c. 6. p. 499.* (k) *L. cit. c. 4. & 5. p. 48. seqq.* (l) *Dissert. super Aristeæ. ed. Amsterd. 1705. Confer celeberr. Fabricii Biblioth. Græc. l. 4. c. 12. p. 319. seqq. & quos ibi citat.*

numerum librorum bibliothecæ hujus attinens: sunt enim, qui exequendo hæc subtiliter eundem late diffundunt; sunt etiam, qui extenuant atque imminuunt. Georgius Cedrenus centum solummodo voluminum millia numerat, (m) Seneca quadringenta, (n) Josephus quingenta; (o) at A. Gellius, (p) Ammianus Marcellinus aliique (q) septingenta fuisse constanter asseverant. Cui hic potissimum fidem arbitramur? Cedrenum si errore in manifestario versari dixerimus, nemo fortasse vitio verterit, is præsertim quem non fugiunt de Cedreno hoc Cl. Virorum judicia. (r) Sed quid de Seneca fiet? Lipsius certe, Senecæ, si quisquam alius, ardens amasius, calculum hic ab eo non satis ex vero poni, audeat pronunciat. (s) Sunt tamen, qui hominem excusant, præsertim cum numerum non præcise determinet, ac quadringenta millia arisse tantum dicat; potuisse enim fieri, ut pars quædam voracibus flammis fuerit subducta: (t) nisi malis dicere, quadringenta millia ipsum Philadelphum coëgisse, reliquis cura atque diligentia successorum adjectis; vero enim perquam simile videtur, acceptum hunc à majoribus thesaurum posteros amplificare studuisse. Postremum, ut jam omittam, in Bruchione an Serapeo reposita? Utrum Pergamenam superarit ætate, aut eâ fuerit inferior? Nam & hic eruditos diffidere videas, ut, inquam, hæc & alia omittam, illud quoque in contentionem venit, quid de toto hoc, ingentem librorum congerendi modum, Ptolomæi negotio habendum sit. Seneca certe damnat, tum alibi passim, tum signatè illis verbis: *Quo mihi innumerabiles libros & Bibliothecas, quarum Dominus vix tota vita sua indices perlegit. Onerat discentem turba, non instruit; multoque satius est paucis auctoribus tradere, quam errare per multos. Quadringenta millia librorum Alexandria arserunt, pulcherrimum Regiæ opulentia monumentum. Alius laudaverit. Non fuit elegantia, sed studiosa luxuria.* (u) Ast rectius omnino Livius elegantia Regum curæque egregium opus existimat, cui etiam suffragatur à Seneca suo hic discedens Iscanus sapiens. Præsertim, cum Philadelphus noster non, quod alicubi de Appelicone Tejo Strabo dicit: *φιλῶβιβλῶν μᾶλλον ἢ φιλοσοφῶν*, hoc est magis librorum, quam sapientia fuerit studiosus, & pretiosam hanc suam supellectilem, non in spectaculum, & speciem ac cultum parietum, ut iterum ait Seneca, sed in usum literatorum comparaverit, ut haberent illi non tantum, quod otium suum honeste oblectarent, sed etiam unde divitias mentis amplissimas, publico bono olim maximè profuturas, haurirent uberrimè. Et fuere sane,

X 3

m) lib. 22. (n) lib. 1. de tranquill. c. 9. (o) lib. 12. Antiquit. Judaic. c. 2. (p) lib. 6. Noë. Attic. c. ult. (q) Vid. Naudæi Dissert. de Instruenda Bibliotheca p. 86. (r) Scalig. not. ad Euseb. p. 402. Voss. de Hist. Gr. (s) in Syntagm. de Biblioth. c. 2 p. m. 1125. (t) Vid. not. Thyssi & Oiseltii ad l. cit. Gell. p. 394. (u) l. cit. conf. Ep. 2.

ut celeberrimi Viri mea hic faciam, *bibliotheca à prima usq; ve-*
rustate Regum maximorum cura, delicia Caesarum, desideria
Magnatum, amenitates erectarum mentium, aurifodina avi-
darum, ac publica rei ornamenta, (x) & quod bona hora audiat,
 sunt, divina favente gratia, in hodiernum usque diem; adeo, ut, quæ
 seculi nostri felicitas est, vix hodie ullus vel tenuis magistratus, vel
 oppidum exiguum, aut Schola etiam mediocris reperitur, quæ bi-
 bliotheca sua, ut de multis privatorum splendidissimis, & pene in
 Regalem magnificentiam excrescentibus nihil dicam, pro modu-
 lo copiarum sic satis instructa, non gaudeat. Equidem de nostra
 hac Scholastica bibliotheca, aut bibliothecula potius, ut Symma-
 chi verbo utar, non est quod multa ambitiosè prædicem, cum illa
 & numero, & præstantia librorum facile quibusvis aliis impræsens
 cedat: inveniet tamen & hic frugi Lector, quò sitim suam abun-
 de expleat, is cum primis, cujus animò infedit illud Neoptolemi
 Enniani, qui philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis, nam
 omnino haud quidem placere. (y) Interea, ne sit nescia, si quæ futu-
 ra est, grata posteritas, unde hæc ad eam dimanarit librorum qua-
 liscunq; copia, haud ab re facturum me arbitratus sum, si & ad
 memoriæ dignitatem, & grati animi significationem pauca quæ-
 dam literis ea de re mandavero. Est itaque hæc *αγγελωζ* illius bi-
 bliotheca, quæ inde à renascentibus literis, & instauratione puri-
 oris doctrinæ Evangelicæ in Prifonna, sive sacro ergastulo templi
 Cruciani asservabatur. Cum autem hac ratione rara esset accessu,
 neque etiam usibus doctorum facile pateret, factum est ut No-
 bilissimus atq; Amplissimus Urbis Senatus, consentiente &
 approbante negotium Summe Reverendo & Magnifico eo tem-
 pore Ecclesiarum & Scholæ Ephoro, sanctæ memoriæ Dn. D. Bu-
 læo, decerneret, ut instituto selectu, libri Theologici, quique mo-
 do quocunq; ad sacras literas spectare videbantur, in Sacristia
 templi Crucis usibus Rever. Ministerii; Philosophici vero, & qui
 ad humaniores mansuetioresq; has nostras pertinent, in Scho-
 la hac Cruciana Præceptorum Discipulorumq; utilitati asserva-
 rentur. Contigit autem hoc ipsum anno superioris seculi primo &
 septuagesimo die 18. Januarii, ut ex celeberrimi quondam Jure Con-
 sulti, b. m. Dn. ADAM CHRISTOPHORI JACOBI, Ur-
 bis Dresdenfis, præter alia splendida munia, quæ vivus obierat,
 Syndici gravissimi, chirographo, Catalogo Bibliothecæ Scholasti-
 cæ annexo, videre est. Ex illo tempore jacuit illa neglecta atq;
 inculta, & pene intermortua, donec superioribus abhinc aliquot
 annis reviviscere iterum, & quasi lacertos movere cœpit. Quam
 in rem, post divini Numinis auxilium, si curas nostras, si ambitum,
 si preces aliquid contulisse dixerò, nihil me jactantius dicere no-
 runt

(x) Spanhemius *Præf. Catalogi Bibliothecæ Leydensis.* (y) *Cic. lib. 2. Tuscul. Quest.*
conf. Gell. l. 5. c. 15.

runt Patroni atqve Amici, quibus tota Bibliotheca nostra ratio
perspecta est. Placuit certe in tantum conatus hic meus sapientis-
simo & prudentissimo Patrum ordini, Scholæ nostræ nutritori
benignissimo, ut non tantum elegantissimis, pretioq; haud exiguo
comparatis libris Bibliothecam Scholæ suæ primariæ augere, sed
etiam de incremento illius annuo, cura sane maxime laudanda, so-
licitus esse voluerit. In cujus beneficentiæ partem venere postea,
nostro præsertim rogatu, complures alii Clarissimi Nobilissimiqve
Viri, qui benevoli & proluxi affectus sui in bonas literas memoriâ, in
bibliotheca nostra extare voluerunt. Invenias enim in Albo Ever-
getarum Arnstios, Baffinelleros, Bergeros, Berischios, Bozsoas,
Carpzovios, Dornbluthios, Fischeros, Freysteinios, Ganzlandios,
Hahnios, Hausios, Hausmannos, Heringios, Jacobos, Jüngeros,
Kühnios, Manickios, Müldneros, Rachalsios, Schefferos, Schrader-
ros, Strobélios, Veldhemios, Vogleros, Zimmermannos, Zvirne-
ros, aliqve æternitati consecrata nomina. Quorum pars cum pu-
rissimo illo beatorum consociata choro, sempiterna jam perfrui-
tur felicitate, pars adhuc in hac vitæ statione de Ecclesia & bono
publico meretur egregie. Nos vero ingratisimi omnium mor-
taliū simus, quicunqve hoc in Cruciano Musarum sacra colimus,
ni tantorum beneficiorum magnitudinem plena manu, mente pro-
lixa, animo ingenuo, opere quam possumus maximo deprædica-
mus. Et certe quamdiu literis honos, eruditioni sua constabit gra-
tia, constabit etiam tam benignæ in nos voluntatis recordatio, & li-
bri bibliothecæ nostræ inserti, veluti tropæa quædam immortalis
gloriæ, in hoc Gratiarum & Mnemosynes fano suspensa, fulgebunt
perpetuo. Cæterum cum referre parem gratiam non opis sit no-
stræ, quamvis debeamus maxime, itaqve ad vota confugientes, DE-
um O. M. precamur, ut beneficentiæ hæc publica monumenta lon-
gissimi annorum excursu, felicitate in rebus agendis invidenda,
perpetuoq; rerum omnium flore Patronis, eorumqve & pie defun-
ctorum laudatissimis posteris, remunerari atq; red hostire dignetur.
Sed cum primis æternum bene sit sanctissimis Magnifici quondam
atq; Summe Reverendi Viri, Dn. D. SCHRADERI, manibus, qui
non tantum de Bibliotheca Scholastica, eam insigni munere ornan-
do, sed etiam tota Schola nostra immortaliter meritus est. Et cer-
te tot tamq; insignia Viri summi beneficia, tot virtutum exaggerata
ornamentis, ingrato velle præterire silentio, id vero esset officii mi-
grare leges, pietatis etiam debita, quod sine summo flagitio fieri
vix potest, turpiter oblivisci. Nihil dicam impræfens de exquisita
B. Schraderi nostri eruditione, quâ summis Theologis par, multos
etiam albis, quod ajunt, equis præcurrerat. Nihil de svada illa de-
lenifica, quam in verbis & ubertate sensuum beata quædam felici-
tas, affluensq; facilitas nunquam non conseqvebatur; quâ illo in ani-
mis

mis ad virtutem inflammandis, & a vitiis revocandis ornatio aut vehementior fuit nemo. Nihil de pietate, virtutum omnium fundamento ac genitrice, quæ in B. nostro Ephoro tam altis erat defixa radicibus, ut nihil prius, nihil antiquius habuerit, quam assiduis divinum Numen venerari precibus, ejusque Majestatem omni cultu atque reverentia, vitaque sancta integritate ætatem prosequi. Nihil de modestia incredibili miraque dulcedine ac suavitate morum, quos pars libra gravitas comitasque temperabat. Illa tantum ut commorem, quæ nos Scholæ Præceptores propius attingunt, quem ille nostrum unquam à se dimisit, quem non aut mœrentem presentissimo crexerit solatio? aut rerum suarum ancipitem, in tali æstu cato, ut Comicus ait, explicarit consilio? aut auxilio egentem ope sublevarit promptissima? adeo ut qui nostrum vultu tristi, animo abjecto atque jacente ad eum accederent, mox pleni gaudio recedentes de tanti Viri benigno affatu sibi non poterant non impense gratulari. Quid multis? Fuit, fuit B. Schraderus noster emendatissimum sanctissimi Præsulis exemplar, quod nostra non sine pia admiratione vidit ætas, transmittet ad posteros fama, aternitas tuebitur ac conservabit. Sed plura, ductu nostro, de viro maximo dicet Juvenis multæ pietatis, multaque industria

JOH. Gottschiff ANDREÆ, Stolpena-Milnicus, qui vitam Beati SCHRADERI nostri eleganter actam, munia splendida decenter ac magna cum laude administrata, morteque tandem placidissima atque beatissima coronata, oratione pro ingenii ac ætatis suæ captu satis *αιθηρας* conscripserat, delineabit.

Idem facere conabitur ingenuus literatusque Juvenis JOH. MICHAEL Haupt/Dresd. sed carmino Heroicò Græco, non in eleganter, neque inconcinne conscripto.

Hos denique excipiet probatæ nobis vitæ atque diligentia Juvenis SAMUEL ANDREAS ANDERS, Altenburgensis, qui de Bibliothecarum publicarum utilitate atque necessitate quædam præfatus, postquam Nobiliss. atque Ampliss. Urbis Magistratui, reliquisque Patronis atque Evergetis pro Symbolis in augmentum Bibliothecæ nostræ Scholasticæ munifice ac benigne collatis, gratias egisset decentes, suo suorumque hinc à nobis digredientium nomine, nempe

JOH. Gottlob OTTONIS, Dresd.

JOH. Gottfried THAMMIL, Dresd.

JOH. Gottfried GRAHLII, Dresd.

more modoque conveto supremum dicit Vale.

Ad quod Acroama tam pium, tamque sanctum, quippe summorum atque optimorum Virorum meritis debitum, ut Musagetæ Patroni, Fautores & Amici crastina, Deo volente, luce, post secundam pomeridianam in Auditorio Cruciani nostri superiori convenient, dicturisque nostris favorem & lubentiam suam adspirent, atque ita reliquis etiam eorum consilioribus, hæc tenuia non dedignando, ad majora quæque calcar addant, est quod observanter atque amice oro rogoque. Discessuris autem à nobis Discipulis, ut probitatis, diligentia & obsequii testimonium præsentibus publice tribuere nullus dubito, ita à Deo O. M. valetudinem prosperam, felices studiorum successus, & doctrinae virtutumque incrementa uberrima isdem *αιοφρονου* apprecor, ut quam sui concitarunt expectationem, non tueri modo atque explere, sed etiam superare ac vincere possint. Ita fiat!

P. P. in Regia atque Electorali Dresda d. XV. Maji, M DCCX.

Fx. 14.
113

Q. D. B. V.
Ad Orationes

119

ENCOMIO ASTICO-EV- CHARISTICAS,

Quibus

Patronis, Mæcenatibus ac Evergetis, pro benefi-
centia in publicam Scholæ nostræ Crucianæ Bi-
bliothecam munifice collata
decentes persolvent gratias,

cum primis autem

*Viri quondam Summè Reverendi Magni-
ficiqve*

DOMINI CHRISTO. ORISCHRA- DERI, CONSISTORIO SENATORIS INTENDENTIS CELEBER- RIMI, ISSIMIS CINERI- BUS

Hac & aliis plurimis causis
bene precabuntur
s aliquot pii, modesti, industrii;
volente luce, finitis sacris pomeridianis
habendas

*ce Literarie Proceres benignos,
vires humanissimos submitte officioseq,*

ENIUS, Scholæ Cruc. Rect.

Æ, Stanno RIEDELIANO.

